



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Plerumq[ue] in hominibus magis, quàm in aquis, caussam esse
valetudinis offensæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

III. Aft aliter Sancti supra laudati, aliter ratio recta, cui omnia opera Domini, vti sunt, ita esse recta videntur. Vt ergo de querelis illorum cognoscamus, ad tria capita possunt reuocari: *ad offensio- nem sanitatis, ad inundationes & diluvia; ad naufragia & suffocatio- nes.* Ad primum quod attinet, communis ea causa est, cum omni- bus creaturis: nulla non nocet incautis. Certè de potu si sit sermo, plures nimio vino, quàm nimia aqua potanda, valetudinem ami- serunt. Et quid tandem est, quod abusu non possit fieri pernicio- sum? Ipse sol quosdam, fixis oculis, eius ardentissimam lucem in- tuentes excaecauit. Quid mirum est, si & aqua imprudentibus ob- sint? Habent oculos, quibus paludem pigram ac putrescentes a- quas, à fonte pellucido, discernant; ; cur ijs non vtuntur? cur ca- num instar, obuia quæq; lambunt? immò cur non canis instar, è Nilo bibentis, pericula cauent? ideò ratio eis data est, vt ea bo- num à malo discernant; ideò mala bonis, noxia vtilibus permixta, vt homines se discernere posse, ostendant. Cur obuijs vtuntur, quasi oculis & ratione carerent? Cur illis ferino impetu vtentibus res ad alium vsum factæ non obessent; qui etiam salubria in pernitiè vertunt? Itaq; bonis quidam aquis offendunt sanitatem; sed sua culpa; sua intemperantia: cur, Thracum more, clausis oculis, vno ductu, vno spiritu amphoras vacuant, & vel vaccam amysside vin- cunt? quasi tota velint flumina epotare? Sunt, multis in locis aqua insalubres? cur homines ibi habitant, vbi sedes est ranarum & ser- pentum? Cur non aliò commigrant, vbi saliant puri latices? vbi riui fluunt lacte dulciores? Argi, ob aridam terram, fontibus ca- rent, puteis abundant. Quod hominum industria, in vno, id natu- ra, in alio loco compensat, immo & alio tempore. Est oppidum Lusitaniæ, *Villam nouam* vocant, ibi, cum aliæ aqua deficiunt, fons oritur, Cal. Maijs, & ad Cal. vsq; Nouembres aquas Villæ- nouanis abunde diffundit: postea verò occultatur, latetq; hieme tota, & ad statum tempus, hoc est, ad Cal. Maias renascitur, atq; incolas reuiscit. Has vices temporum & locorum seruat natura, quæ varietate delectat: nec vult omnes vbiq; habitare.

IV. Quin etiam insalubritas nonnullarum aquarum duplici mo- do pensatur. Nam primò, si non sunt ad potum idoneæ, sunt ta- men idoneæ ad alios vsus medicinæ, rerumue aliarum. Secundò
possunt

Strabo. lib. 8.

Martius l. j.
de reb. Hispã.